

clesiam constituere possent, imò deberent. Quod ut tandem omnes agnoscāt, faxit ipse Dominus Iesus.

Deniq; & hic monendus esse videris, vir Excel-
lentissime, ne, quod facere videris, nimis humano
brachio fretus, aliis insultes. Veritas enim divina
homines nō veretur: imò a magnis spērni, plerunq;
amat. Memento, nos olim etiam fuissē Regibus ac
Principibus destitutos, & tamen Deum tunc nos
non deseruisse. Regum, quos Deus nobis largitus
est, potentiā, ad propagandam Christi gloriam, non
ad opprimendos infirmiores utendum nobis, reli-
giose perpendamus. Evidem pro SER. Magnæ Bri-
tanniæ Rege, qui pares inter Christianos Reges ha-
buit paucos, ingentes Deo gratias ago; & eundem
etiam pro incolumitate illius assiduè & ardenter
precor; & tantum Ecclesiarum nostrarum incre-
mentum, admirandæ imò miraculosæ providentiæ
divinæ, argumentum arbitror esse maximum: Sed
caveamus, ne nos res secundæ efferant, & ne nimis
Ecclesiis nostris tribuamus. Eo quidem in statu eas
esse, ut, si veræ pietati & sanctimoniam, sine qua ne-
mo Dominum videbit, studeant, servari possint,
nullus dubito: sed, si reformanda sit prorsus Eccle-
sia; & videndum, non quid alii post Apostolos, qua-
iescunq; tandem fuerint, sed quid ipsi Apostoli do-
cuerint ab initio, nonnullos adhuc nævos in no-
stris Ecclesiis restare agnoscemus, quorum etiam
indicia non vulgaria hæc ipsa continet Epistola.
Nam, ut alia taceam, in cœna Domini, Christi cor-
pus realiter & spiritualiter manducari, statuere: ge-
nibus flexis ad eam accedere, morientibus eam pro-
viatico porrigere: Virginem Mariam, & alios sanc-
tos vel martyres, in cœlis nunc regnare, & pro no-
bis orare, asserere, & alia his similia, sanè non vixi-

veras